

centrum habet, eandemq; bifecat, uti & per consequens unus alterum. Id videre est in *Æquatore & Eclipticâ, Eclipticâ & Coluro æquinoctiorum, Æquatore & Horizonte obliquo, Meridiano & Ecliptica plerumq;, &c.*

Quod si tamen duos Circulos Maximos Obliquos tertius Maximus per Polos secet, erunt sectorum segmenta utrimq; à secante æqualia.

Quia nempe *per priora* bifecantur, & quidem per Polos. Ita per Colurum Solstitiorum secantur *Æquinoctialis & Ecliptica*: & per Meridianum *Æquinoctialis idem & Horizon Obliquus*: &c.

CAPUT XVI.

De

TRIANGULIS SPHÆRICIS, EORUMQUE
speciebus in genere.

Triangulum Sphæricum est, quod in Sphærâ seu Globo describitur.

Laterâ ejus sunt arcus trium Circulorum maximorum Sphæræ sese mutuò interfecantium.

Tale Triangulum describunt in cœlesti Globo trium stellarum, vel trium aliorum punctorum quorumcunq;; in Terrestri trium locorum distantia: siquidem eorum semper puncta vel loca bina per arcum certum connectuntur, quem arcum si cõtinues, videbis eum tandem circulum maximum constituere. Non minus enim in Sphæricis per duo quælibet puncta potest circulus maximus duci, quàm in Planis per duo puncta aliqua linea Recta.

Angulorum Sphæricorum autem mensuræ sunt arcus
Circu-